

*Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet,  
non potest meus esse discipulus.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

14, 25-33

In illo témpore:

<sup>25</sup> Ibant turbæ multæ cum Iesu,  
et convérsus dixit ad illos:

<sup>26</sup> «Si quis venit ad me  
et non odit patrem suum et matrem  
et uxórem et filios et fratres et soróres,  
adhuc et ánimam suam,  
non potest esse meus discípulus.

<sup>27</sup> Et, qui non báiulat crucem suam et venit post me,  
non potest esse meus discípulus.

<sup>28</sup> Quis enim ex vobis volens turrem ædificáre,  
non prius sedens cómputat sumptus,  
si habet ad perficiéndum?

<sup>29</sup> Ne, posteáquam posúerit fundaméntum  
et non potúerit perfícere,  
omnes, qui vident, incípianc illúdere ei <sup>30</sup> dicéntes:  
“Hic homo cœpit ædificáre  
et non pótuit consummáre”.

<sup>31</sup> Aut quis rex,  
itúrus commíttere bellum advérsus álium regem,  
non sedens prius cógitat si possit cum decem mílibus  
occúrrere ei, qui cum vigínti mílibus venit ad se?

<sup>32</sup> Alióquin, adhuc illo longe agénte,  
legatiónc mittens rogat ea, quæ pacis sunt.

<sup>33</sup> Sic ergo omnis ex vobis,  
qui non renúnciat ómnibus, quæ póssidet,  
non potest meus esse discípulus».

Verbum Dómini.